

Itaque per obiectum, quod fit universalissimum, universalitate causalitatis, & continens omnia, secundum omnes particula-

res eorum rationes, non vero per obiectum, quod fit universalissimum in essendo, & predicando: hoc enim, cum solum in confuso, & indeterminate continet inferiora, non potest esse ratio cognoscendi ea distincte, & secundum rationes particulares, & proprias, ut dico, & simpliciter actu. Et tamen ens commune creato, & increato fit universalissimum in continendo, & causando; ideoque apertissimum: ut fit divini intellectus obiectum.

VI. Obijciunt secundo, Si ens creatum esset extra obiectum adequatum intellectus divini, Deus non posset illud cognoscere, quia potentia nequit percipere id, quod est extra ejus obiectum adequatum; sed hoc est falsissimum; ergo &c.

VII. Confirmatur. Quidquid est cognoscibile ab aliquo potentia, debet contineri sub ejus obiecto formali, quod debet esse de omnibus contentis sub illo predicato, ut patet discurrens per singula; sed ens creatum non continetur sub ente increato, neque istud predicatur de illo; ergo ens creatum non erit a Deo cognoscibile.

VIII. Resp. dist. maj. extra obiectum, & extra ordinem ad illud, conc. maj. cum ordine tamen ad illud, nego maj. Ens igitur creatum esse non continetur, sed fit extra obiectum adequatum intellectus divini, quia directe, & intrinsece non ponitur sub illo, non tamen est extra ordinem ad illud, immo continetur extrinsece sub illo, cum sit illius participatio. Neque oportet, ut totum id, quod etiam secundario attingitur, participet intrinsece rationem obiecti adequati, & directe sub illo continetur, sed fat est, ut ad illud reducat, dicat ordinem, & dependentiam, & ut tale cognoscatur. Sicut creatur non continetur directe, neque intrinsece participat rationem obiecti adequati Theologiae, quod est solus Deus; quia tamen ad Deum ordinatur, ideo sub tali ordine consideratur secundario a Theologia.

IX. Similiter respondetur ad confirm. Quidquid enim cognoscibile est ab aliquo potentia; debet contineri sub obiecto adequato illius; sed eo modo, quo est inter cognoscibilia ab illa potentia. Si enim fit cognoscibile primo, & per se, debet directe contineri sub obiecto adequato, & hoc debet in recto predicari de illo. Si vero fit inter cognoscibilia solum secundario, non debet directe sub obiecto adequato contineri, nec intrinsece illud participare, nec ratio obiecti de illo predicari in recto, sed solum in obliquo. Et hoc modo ens increatum de ente creato predicatur, nam esse non fit vera predicatio: *ens creatum est ens increatum*; vera tamen est ista: *ens creatum est aliquid entis increati*, nempe illius participatio, & hac ratione qui cognoscit ens increatum; perfectissima cognitio, sicut Deus, cognoscit in illo, per illud, & ratione illius etiam ens creatum.

X. Obijciunt tertio. Deus cognoscit primo, & per se ens in communi; ergo ens ut sic pertinet ad obiectum primum divini intellectus. Antec. probatur: Tum quia illud non attingit secundario, alias omnia, que continentur sub illo, ac proinde Deus ipse, secundario cognoscitur ab ipso. Tum quia Deus cognoscit omne verum omni modo, quo cognoscibile est; sed ens ut sic est cognoscibile primo, & ratione sui, & sic a nobis cognoscitur; ergo &c.

XI. Respondetur disting. ant. ens in communi, ut precium a suis modis, neg. antec. ut includitur in modo divinitatis, conc. antec. Cognitio entis in communi, si solum terminetur ad rationem explicitam entis, erit confusa, & potentialis, siquidem non attingit modos, & differentias entis, ac proinde erit imperfecta. Nam intelligere (ait D. Thom. hac 2. part. q. 14. art. 6. in cap.) aliquid in communi, & non in speciali, est imperfecte aliquid cognoscere. Unde intellectus noster a dam de potentia in alium reducit, pertingit prius ad cognitionem universalem, & confusam, quam ad problem rerum cognitivam, sicut de imperfecto ad perfectum procedens. Si vero terminetur, non solum ad rationem explicitam entis, sed per se primo etiam ad omnes modos in illo inclusos, specificaretur saltem inaduate etiam ab ente creato, quod nequit dici. Remanet ergo, quod Deus primo per se solum cognoscit ens, ut determinatum per modum divinitatis, & in ente Divino, & ratione ejus alia secundario attingat.

DUBIUM II

An attributa pertinent ad obiectum primum Divini intellectus.

S. I.

Resolutio Dubii.

I. Duplex est obiectum: unum primum, & specificativum; alterum secundarium. Rursus obiectum primum respectu intellectus, aliud est motivum; etque id, quod movet intellectum ad cognitionem: & aliud terminativum, quod primum terminat cognitionem. Quia vero inter obiecta primaria, alia sunt, que primum terminant cognitionem, sed ad eam non movent ratione sui, alia, que ratione sui terminant, & movent; Illud obiectum primum aliud est motivum, & terminativum simul, aliud vero terminativum, sed non motivum. Hoc praebito. Quartum, an tam attributa, quam essentia pertineant ad obiectum primum tam terminativum, quam motivum divini intellectus, an vero sola essentia sit obiectum motivum, & terminativum. Omnia opiniorum varietate etiam inter Thomistas,

II. Dico. Ens increatum, seu divinum, ut comprehendit essentiam, attributa, & relationes, constituit obiectum primum, tam motivum, quam terminativum adequatum intellectus divini; ideoque non essentia sola, sed cum attributis, & relationibus movet, & terminat divinam cognitionem per se primo modo explicando.

Affertio hac pro ea parte, qua asserit, divinam essentiam pertinere ad obiectum motivum divini intellectus, certissima est, quia ipsa est, que unitur immediate intellectui divino per modum speciei, seu forme intelligibilis, ut docet D. Thom. hac quæst. 14. passim, & precipue art. 4. & 5. Tota ergo difficultas est in hoc, quod non sola essentia, sed attributa, & relationes pertineant ad obiectum primum motivum, hoc enim plerique negant. Nam hoc habito inferunt statim, ea esse quoque obiecta primaria terminativa. Nam licet in nobis possit contingere, quod obiectum movens ad cognitionem, non terminet illam, ut quando ex imagine Imperatoris movemur ad cognoscendum Imperatorem, quo cognitio non ad imaginem movemur, sed ad Imperatorem terminatur; quia tamen hoc requirit pluralitatem cognitionum, quarum una moveat ad alteram, quod Deo repugnat: Ideo eo ipso, quod est obiectum motivum, debet etiam esse terminativum.

III. Probatur ergo primo. Quotiescumque aliqua, vel habent eandem omnino intelligibilitatem, vel omnino aequalem, si unum spectat ad obiectum primum motivum alterius potentie, etiam alia spectare debent: sed essentia, attributa, & relationes, vel eandem omnino intelligibilitatem habent, vel in omnibus est æqualis: cum in omnibus sit intelligibilitas increata, & divina &c. ergo &c. Maj. probatur, quia ratio motiva est ipsissima intelligibilitas.

IV. Secundo, obiectum primum representatur per speciem, quia divinus intellectus intelligit, cum species fit, que movet media representatione, & eo modo aliquid moveat, quo representatur per illam; sed attributa, & relationes, per speciem divini intellectus nempe per essentiam divinam representantur, non secundario, alias essent obiecta secundaria, sed primario, cum in attributis, & relationibus sit eadem, saltem æqualis intelligibilitas; ergo &c.

V. Sed tertio, representari quidem primario, & non mere secundario per divinam essentiam, at non immediate, & ratione sui, sed mediante solum, nempe mediante divina essentia, que est species intelligibilis, & primo per se representans se ipsam; obiectum autem motivum est, quod ratione sui movet, & quod primario, & immediate representatur, non vero id quod est primario representatur, representatur tamen solum mediante, & ratione alterius. Hac est tota sententia contrarie bas.

VI. Verum contra est. Esto ex hoc sequatur, quod attributa, & relationes non sint obiectum motivum immediatum, & primum primum, non tamen, quod non sint obiectum primum motivum mediatum, & secundum; sed hoc nos tantum asserimus; ergo &c. Maj. probatur. De ratione obiecti primari moti non est movere immediate, sed movere primario; sed hoc ipso, quod attributa, & relationes representantur primario in essentia divina, movent primario, isto modo mediate, quia species non movet, nisi ratione representationis; ergo, &c. Major probatur. Tum quia obiectum movet ratione representationis, seu quatenus representatur per speciem; sed representati primario dupliciter contingit, vel immediate, vel mediate; ergo & movere. Tum quia de ratione obiecti primari terminativi solum est terminare primario, non vero terminare immediate, quia in communi sententia attributa, & relationes non terminant divinam cognitionem immediate; sed solum mediante essentia, & tamen pertinent ad obiectum primum terminativum; ergo a pari. Confitem. esto attributa, & relationes in esse entis virtualiter distinguantur ab essentia, in ratione tamen intelligibilis unica, & indivisibili intelligibilitate purissima intelligibiles sunt; qua ratione diximus, non posse videri essentiam, non visis attributis, & relationibus; sed que eadem indivisibili intelligibilitate gaudet, gaudet etiam eadem representabilitate, & consequenter si unum movet, movere debet & alterum; ergo &c.

S. II.

Proponatur, & solvantur obiecta.

VIII. Obijciunt primo. Id est obiectum primum motivum divini intellectus, quod media sui specie cum secundum ad sui cognitionem: sed sola essentia divina est species, que immediate fecundat intellectum divinum; ergo est sola ipsa, que movet, seu obiectum motivum.

Resp. dist. min. & in essentia divina representantur primario attributa, & relationes, conc. min. aliter neg. min. & vel neg. consequ. vel distinguo conf. motivum immediatum, conc. conf. mediatum, nego conf.

VIII. Dices. Obiectum primum motivum debet ratione sui movere potentiam, alias non distingueretur ab obiecto secundario; ergo si sola essentia divina movet intellectum ratione sui, sola ipsa est obiectum motivum.

IX. Confirmatur. D. Thom. quæst. 14. art. 5. ad 2. docet, solum essentiam divinam ex eo, quod est forma intelligibilis, & in ea omnia intelliguntur, specificare divinam intellectio-nem; ergo sola ipsa est obiectum primum, Antec. probatur afferendo verba S. Doctoris: *Ad 2. dicendum, quod ipsum intelligere non specificatur per id, quod in alio intelligitur, sed*

per principale intellectum, in quo alio intelligitur. In tantum enim ipsum intelligere specificatur per obiectum suum: in quantum forma intelligibilis est principium intellectualis operationis. Nam omnis operatio specificatur per formam, que est principium operationis, sicut caliditas per calorem. Unde per illam formam intelligibilem specificatur intellectus operans, que facit intellectum in alio. Et hæc est species principalis intellectus, que in Deo nihil est aliud, quam essentia sua, in qua omnes species rerum comprehenduntur. Unde non oportet, quod ipsum intelligere divinam, vel potius ipse Deus, specificatur per aliud, quam per essentiam suam. Cum ergo attributa & relationes intelligantur in essentia divina, sicut in principali intellectu; sicut hæc sola species, ita hæc sola movet.

X. Respondetur, neg. antec. Obiectum enim dicitur, & est secundarium, non quia præcise movet rationem alterius, sed quia movet rationem alterius, in quo solum secundario representatur. Cum autem attributa, & relationes, cito non moveant rationem sui; sed ratione essentia, represententur tamen primario per eam, esto mediate, cum sint ejusdem actualitatis, & representabilitatis cum ipsa, idcirco non debent excludi ab obiecto primario, esto non primo, & immediato, secundo saltem, & mediato.

XI. Ad confirm. ex D. Thom. dist. antec. docet solum essentiam divinam specificare &c. secundum adæquatum primum representationem, conc. antec. aliter, nego antec. Nec oppositum sudent verba S. Doctoris; Illis enim solum intendit excludere ab obiecto primario, & specificativo divinam cognitionem creaturas; ejus oppositum tentabat argumentum, nimirum, quod si Deus cognosceret alia a se, ipse Deus specificaretur per aliud aliud a se. Et merito quidem, nam creatura representatur, & cognoscitur in alio, nempe in essentia divina tanquam secundario representatum.

XII. Obijciunt secundo. Intelligibilitas divinarum attributorum est secundaria: ergo non representatur primario per divinam essentiam. Antec. prob. intelligibilitas in altero radicata est secundaria; sed intelligibilitas attributorum est radicata in divina essentia; ergo &c.

Respondetur nego ant. ad prob. dist. maj. radicata existens diversa rationis ac intelligibilitate radicentis, conc. maj. existens ejusdem rationis &c. nego maj. & dist. min. eodem modo. Cum ergo intelligibilitas attributorum esto radicata virtualiter in essentia divina, fit ejusdem rationis, immo eadem prorsus est intelligibilitas essentie, & ita a se independens; & ædus purus, sicut illa: propterea sicut illa est primaria, ita & ista.

XIII. Obijciunt tertio. Si attributa, & relationes moverent primario intellectum divinum, jam Verbo Divino communicarentur formaliter, cum illi communicetur formaliter omne id, quod habet rationem speciei, & obiecti per se motivi, & sic si communicaretur quoque Paternitas, quod est implicitorium.

Respondetur, negando sequela maj. Verbo enim Divino formaliter communicatur solum id, quod immediate, & ratione sui est forma; seu species: non vero totum id, quod tali specie mediate, esto primario, representatur. Nos autem nec dicimus, attributa, & relationes habere rationem sui motivi speciei, nec immediate movere intellectum divinum, sed solum mediate, tamen tanquam quid primario representatum, & non secundario.

QUÆSTIO III

De modo, & modo cognitionis divini.

DUBIUM I.

An Deus cognoscit se modo comprehensivo.

S. I.

Resolutio quæstio.

I. Dico. Deus comprehendit perfectissime se ipsum. Ita D. Thom. hac quæst. 14. art. 3. ejus ratione sub hac forma probatur. Tunc res comprehenditur, quando cognoscitur quantum cognoscibilis est, ita, ut cognoscitivitas cognoscens adæquet cognoscibilitatem cognitæ; sed divina cognitio cognoscit Deum quantum cognoscibilis est, ita, ut vis Dei cognoscitiva adæquet ipsam Deum cognoscibilitatem; ergo &c. Maj. explicatur tum exemplo aquæ, que dicitur comprehendit a vase, quando ita adæquatur ab illo, ut tanta sit capacitas vasis, quanta est quantitas aquæ, ut nihil aquæ sit extra vas. Tum exemplo propositionis cognitæ demonstrativæ, que ideo comprehenditur, quia aded perfecte cognoscitur, que cognoscibilis est. Min. quoque prob. Nam virtus Dei in cognoscendo est infinita, sicut ejus cognoscibilitas est infinita; ergo vis cognoscitiva Dei adæquat ejus cognoscibilitatem.

S. II.

Solvuntur argumenta.

II. Arguitur primo. Deus, ex quo est infinitus, est incomprehensibilis. Item, 32. v. 19. Deus magnus confitio, & incomprehensibilis cogitatur; sed ita est infinitus, ut a nullo finitari possit; ergo ita est incomprehensibilis, ut a nullo comprehendit possit.

Resp. dist. maj. est incomprehensibilis respectu intellectus finiti, conc. maj. respectu intellectus infiniti, nego maj. Ex

quo ergo Deus sit infinitus, sequitur quidem, eum a nullo intellectu creato, & finito comprehendi posse, ut supra ostendimus, non tamen, eum comprehendi non posse, & adæquari ab intellectu suo, qui est infinitus: per hoc enim ejus infinitas non tollitur, sed asseritur.

III. Dices ex Angulino lib. 83. quæst. 24. quod id, quod comprehendit se, finitum est sibi; ergo si Deus comprehendit se, est sibi finitus.

Confirmatur. Si Deus sibi ipse est finitus, licet infinitus nobis ergo verus est, Deum esse finitum, quam infinitum: nam unumquodque verius est, secundum quod est apud Deum, quam secundum quod est apud nos.

IV. Respondetur, dist. antec. quod comprehendit se, et includens se ipsum, conc. ant. ut nihil sui lateat ipsum, nego antec. Ita D. Thom. hic art. 3. ad 1. *Comprehendere* (inquit) si proprie accipitur, significat aliquid habere, & includens alteram. Et sic oportet, quod omne comprehendens sit finitum, sicut omne inclusum. Non sic autem comprehendens dicitur Deus a se ipse, ut intelligatur sicut se aliud, quam ipse, & capere illud, & includere: sed hujusmodi locutiones per negationem sunt exponenda. Sicut enim Deus dicitur esse in se ipse, quia a nullo exteriori continetur: ita dicitur comprehendens a se ipse, quia nihil est sui, quod lateat ipsum. Dicit enim Aug. lib. de videnda Deum (epist. 112. ad Paulinum) quod totum comprehenditur videndo, quod ita videtur, ut nihil ejus lateat videntem. Hæc D. Thom.

V. Ad confirm. dist. ant. finitus in sensu proprio, conc. ant. secundum analogiam proportionis, nego antec. Respondit est D. Thom. laudati ad 2. *Cum* (inquit) dicitur, *Deus finitus est sibi*, intelligendum est secundum quamdam similitudinem proportionis: quia se se habet in non excedendo intellectum suum. Non autem sic dicitur Deus sibi finitus, quod ipse intelligat, se esse aliquid finitum.

VI. Arguitur secundo, & replicatur. Comparatio dicit similitudinem in obiecto comprehenso; ergo Deus nequit comprehendit. Ant. prob. Comparatio est attingentia ultimi termini, & finis cognoscibilitatis obiecti; ergo dicit &c. Conf. prob. Tum quia in infinito non potest signari terminus. Tum quia infinitum pertranabile non est.

Resp. nego ant. ad prob. dist. ant. ultimi termini sive positive, sive negative, conc. ant. præcise, quod fit attingentia ultimi termini positive, ita, ut in re attingat terminus positive, sed finitæ; ut sit attingentia ultimi termini negative, id est, quod adæquatur cum re cognita. Ex quo oritur hoc negativum, quod res cognita non excedat cognoscentem, & nihil ejus lateat ipsum. Hoc autem æque bene exerceri potest, & in obiecto finito, & infinito. Sicut enim finitum ita adæquatur finito, ut illud non excedat: ita infinitum adæquatur potest infinito, ut illud non excedat, ut nuper cum D. Thom. dicebamus; & hoc modo Deus a se comprehenditur absque læsione sui infinitatis.

VIII. Ad id, quod additur, dico, infinito non posse signari terminum positive; neque pertranfiri posse positive, numerum scilicet ipsum usque ad ultimum positive; terminari tamen, & pertranfiri potest negative, quatenus totum comprehendit. Audiendus propterea est D. Thom. hac 1. 2. ad 2. ubi simili objectioni respondens ait: *Dicendum, quod transire importat quamdam successivum in partibus. Et ita est, quod infinitum transiri non potest, neque a finite, neque ab infinito, sed ad rationem comprehendens sufficit adæquatum, quia id comprehendit dicitur, cujus nihil est extra comprehendentem. Unde non est contra rationem infiniti, quod comprehendatur ab infinito. Et sic quod in se est infinitum potest dici finitum scientia Dei tanquam comprehensam, non tamen tanquam pertranfibile.*

DUBIUM II.

Quo modo Deus cognoscit creaturas possibiles.

S. I.

Deus cognoscit creaturas propria cognitione.

I. Deum de facto omnia distincte, & propria cognitione cognoscere veritas fidei est, partim revelata in Script. Gen. 1. v. 31. *Vidit Deus cuncta que fecerat.* Sap. 7. Spiritus intelligentis Dei dicitur v. 23. *Omnia habet virtutem, omnia proficiens.* Ecclesiastici 39. 24. *Non est quidquam absconditum ab oculis ejus.* Hier. 4. v. 12. *dicitur pertingens usque ad divisionem animæ, ac spiritus, compagum quoque ac medullarum, & diffractor cogitationum, & intentionum cordis.* Et non est alia creatura invisibilis in conspectu ejus 2. omnia autem videt, & aperta sunt oculis ejus. Partim ex Conciliis, & Patribus, quos in re tam nota superfluum est referre. Quibus omnibus subscibit D. Thom. hac 14. art. 6. q. 2. de ver. art. 4. & 5. & alibi passim.

II. His non obstantibus, ait D. Thom. quidam (Averroes, & Alchazel) erraverunt dicentes, quod Deus alia a se non cognoscit, nisi in communi, scilicet in quantum sunt entia. Sicut enim igitur, si cognosceret seipsum, ut est principium caloris, cognosceret naturam caloris, & omnia alia, in quantum sunt calida: ita Deus, in quantum cognoscit se, ut principium essendi, cognoscit naturam entis, & omnia alia, in quantum sunt entia. Sed hoc reprobat S. D. quia esset tribuere Deo cognitionem rerum solum imperfectam, universalem, & confusam.

III. Probatur ergo ratione ejusdem S. D. sic Deus, ut vidimus, perfecte cognoscit, & comprehendit se ipsum, ejuque virtutem creaturam; ergo cognoscit creaturas omnes eo omni modo.

modo, quo continentur in eius virtute, quia hoc est de ratione cognitionis comprehensivae perfectissimae, sed creaturae omnes continentur in Deo, non solum secundum rationes communes, sed & secundum omnes rationes differentiales, specificas & individuales, ac ultimas; ergo cognoscit illas secundum omnes. Min. subsumpta prob. Creaturae in Deo continentur secundum omnes rationes, secundum quas ab illo dependent, & illam participant, ac imitantur: sed illam participant, ac imitantur, non solum quia sunt, & secundum rationem communem, sed etiam quia tales sunt, & secundum omnes rationes differentiales, & ultimas; ergo &c. Min. prob. Tum quia in quolibet creaturae predicato explicatur aliqua perfectio; sed omnis perfectio saltem virtualiter debet esse in Deo; ergo &c. Tunc etiam, quia Deus potest quaecumque creaturam producere, secundum quaecumque rationem particularem, & ultimam in ea reperiam; ergo omnis ratio etiam particularissima in ea reperita praexistit, & continetur in virtute divina.

IV. Dices, intellectus intelligendo fit res intellecta; sed Deus non potest fieri creatura; ergo eam non intelligit. Secundo. Quaecumque alia a Deo, sunt extra ipsum; sed Augustinus dicit in lib. 83. quae. 46. Neque quidquam Deus extra se ipsum inveniatur; ergo &c. Tertio intellectum est perfectio intelligentis; ergo si Deus alia a se intelligat, aliquid aliud a Deo erit perfectio Dei.

V. Respondetur, dist. maj. fit res intellecta in se ipsa, & primario, conc. maj. res intellecta in alio, & secundario, nego maj. Prolatum ergo axioma exponendum est de re intellecta primario, & in se ipsa, non vero de re intellecta secundario, & in alio. Creaturas intelligit Deus solum secundario, & in alio, nempe ratione suae essentiae, quae illi forma est, & principium intelligendi omnia: quare, intelligendo creaturas, non fit creatura.

VI. Si dicitur. Species debet esse formalis similitudo objecti: sed essentia divina non potest esse formalis similitudo creaturarum; ergo &c.

Respondetur maiorem esse veram de objecto primario, per se, & ratione sui momenti, ad cognitionem & cuius est illa species, non vero de alio, quorum non est immediata, & propria species, & representatio; sed per illam representantur solum secundario, & ut contenta in principali representato, quibus sunt creaturae.

Ad secundam instantiam respondeo cum D. Thoma haec q. 14. art. 5. ad 1. quod verbum Augustini dicitur, quod Deus nihil extra se invenitur, non est sic intelligendum, quasi nihil, quod sit extra se, invenitur: sed quia id, quod est extra ipsum, non invenitur, nisi in se ipso.

Ad tertiam respondeo cum eodem D. Thom. ibid. ad 2. quod res intellecta est perfectio intelligentis, non quidem secundum suam substantiam, sed secundum suam speciem: cumque alia a Deo non cognoscatur per propriam speciem, sed per essentiam divinam, in quantum continet speciem eorum, fit, quod nihil aliud sit perfectio divini intellectus quoniam essentia divina. Sed de hoc statim.

S. II.

Assignatur medium, quo Deus creaturas cognoscit.

XII. Duplex solet distingui medium fervens cognitioni alterius. Unum, quod vocatur medium incognitum, seu medium quo; & hoc est species, seu forma intelligibilis, quam vocamus speciem impressam, quae est quidem ratio cognoscendi objectum, quod representat, & principium cognitionis, ipsa tamen unum non cognoscitur. Aliud, quod vocatur medium prius cognitum, seu medium quod, vel in quo quale est vel speculum, in quo quis videt objectum in eo representatum, vel causa, in qua cognita cognoscitur effectus in illa contentus, vel objectum primum, in quo cognoscitur objectum secundarium. Hic quatuor, quodam sit medium quo cognitionis divinae cognoscitur creaturas, seu quam fit species, qui divinus intellectus creaturas cognoscit.

VIII. Dico. Medium quo seu species intelligibilis, qua Deus cognoscit creaturas, unica est essentia divina, non vero aliqua species creata. Nihil apertius est apud D. Thomam in tota hac questione, & alibi. Probatur. Species intelligibilis determinat, perficit, & specificat intellectum; ac intellectus divinus nequit actuari, perfici, aut specificari ab aliquo creato; ergo &c. Major prob. primo ex D. Thoma tum haec q. 14. art. 2. ubi ait, quod intellectum est perfectio intelligentis, non quidem secundum suam substantiam, sed secundum suam speciem, secundum quam est in intellectu, ut forma, & perfectio eius. Tum ibid. ad 3. ubi ait: In tantum enim ipsum intelligere specificatur per objectum suum, in quantum forma intelligibilis est principium intellectualis operationis. Nam omnis operatio specificatur per formam, quae est principium operationis, sicut calor per calorem. Unde per illam formam intelligibilem specificatur intellectualis operatio, quae facit intellectum in actu, ut haec est species principalis intellectus, quae in Deo nihil est aliud, quam essentia sua... unde non oportet, quod intelligere dicatur, vel potius ipso Deo specificatur per illud, quam per essentiam divinam. Ex quibus conficitur hic discursus. Per per illud operatio intellectualis specificatur, quod est operatio principalis; sed intellectus fit in actu per formam, seu speciem: & haec est principium intellectualis operationis, ergo &c.

IX. Secundo prob. Illud tantum objectum per speciem suam movet intellectum, quod est objectum principale, & prima-

rium: objecta enim secundaria non movent per speciem suam, sed per speciem primariam intellectus; sed primum objectum divini intellectus, ut dictum est, est solum ens divinum: creaturae autem sunt objecta pura secundaria; ergo creaturae non movent &c.

Tertio. Species fita creata debent uniri intellectui divino; ergo vel per identitatem, vel per informationem, vel per informationem; sed quaecumque dicitur, officit divinae perfectioni; ergo &c.

X. Dices primo. Essentia increata uniri potest intellectui creato in ratione speciei, ut vidimus; ergo pariter essentia creata poterit uniri intellectui divino per modum speciei.

Confirmatur. Quantum distat essentia creata ab essentia divina, tantum distat essentia divina ab essentia creaturae; sed per essentiam creaturae nequit cognosci essentia divina; ergo neque per essentiam divinam poterit cognosci essentia creaturae, saltem quoad quid est, & distincte.

XI. Resp. conc. ant. nego conseq. & paritatem. Disparitas est: quod enim intellectus creatus perficitur, & specificatur a divina essentia, consentaneum est creaturae; At quod intellectus divinus perficitur, & specificatur a creatura, omnino distonum est. Utrumque autem sequeretur, si creatura uniretur divino intellectui per modum speciei, ut probatum est.

Ad confirm. Resp. cum D. Thoma haec q. 14. art. 6. ad 2. Quod essentia creata comparatur ad essentiam Dei, ut alius imperfectus ad perfectum: Et ideo essentia creata non sufficienter dicitur in cognitionem essentiae divinae, sed solum converso.

XII. Dices secundo. Species unius nequit fervere cognitioni alterius; ergo species divina nequit fervere cognitioni creaturarum.

Resp. dist. ant. alterius, quod non continetur in illo secundum propriam, & distinctam rationem, conc. ant. quod continetur in illo &c. nego ant. Creaturae autem secundum omnem sui rationem continentur in Deo; ut dictum est, & dicitur.

DUBIUM III.

De medio in quo divina cognoscitur.

S. I.

Resolutio Dubii.

I. Dico. Medium in quo Deus creaturas possibiles cognoscit est sua essentia cognita, non ut speculum, sed ut causa creaturarum. Tres habet partes hoc assertum. Prima constat partim ex dictis, & constat ex infra dicendis, dum ostendimus, non posse creaturas cognosci in se ipsis ut in medio a Deo. Eam docet S. August. lib. 83. quae. 46. ubi ait: Singula; igitur propria sunt creatae rationibus. Has autem rationes, ubi arbitrandum est esse, nisi in mente Creatoris? Non enim extra se quicquam positum invenitur: nam hoc opinari sacrilegum est. Quae verba exponens D. Thom. haec q. 14. art. 5. ad 1. dicit, quod verbum Augustini dicitur: quod Deus nihil extra se invenitur, non est intelligendum, quasi nihil, quod sit extra se invenitur: sed quia id, quod est extra ipsum, non invenitur, nisi in se ipso. Expresse etiam docet art. 6. & 1. contra Gen. c. 49. Sic: Colligentes igitur has duas conclusiones (nimirum, quod Deus primo, & per se solum se ipsum cognoscit, quam statuerat c. 48. & quod cognoscit alia a se, quam statuit c. 49.) apparet, Deum cognoscere se ipsum, quasi primo, & per se notum, alia vero, sicut in essentia sua ipse. Quam quidem veritatem expressit Dionysius tractat in cap. 7. de Divin. Nomin. dicens: Non secundum visum singulis se immitit, sed fecundum causam continentiam scilicet omnia. Et infra Divina Sapientia se ipsam cognoscens fecit alia. Cui tenent sententiae testimonium scripturae sacrae auctoritates; nam in Psal. 101. de Deo dicitur: Prospexit de excelso Sancto suo; quasi de se ipso excelsus alia videns. Haec D. Thomas.

II. Secunda autem pars, quod non cognoscit creaturas tantum in speculo, probata manet tractu praeced. q. 5. art. 3. & 4. quo studiose remitto: non enim ibi dicta repetenda sunt.

III. Tertia vero pars, nempe quod creatura cognoscatur a Deo in sua essentia tantum in causa prius cognita: praeter ea, quae dicta sunt loco mox citato de Visione, quae Beati videntur in Verbo, Probatur sic. Creaturae sunt cognoscibiles in Deo, ut in causa; ergo sic debent a Deo cognosci: conseq. probatur. Deo concedi debet modus perfectissimus cognoscendi; sed hic est cognoscere effectum in sua causa: quare Angelus ob perfectum modum cognoscendi, omnes effectus naturales in suis causis cognoscit: & perfectus est cognoscere via resolutionis, qua cognoscitur effectus, vel conclusio in principio, quam via inquisitionis, qua cognoscitur conclusio in se ipsa; quare cognitio effectus in causa est supercomprehensio effectus. Antec. vero probatur ex dictis. Nam creaturae eminentissimo modo continentur in Deo, ut in causa: quod omnes earum formalitates, & differentias, etiam ultimas; sed effectus est cognoscibilis in causa, secundum eam rationem, qua continetur in illa; ergo &c.

IV. Perfectiorem esse modum cognoscendi creaturas in Deo, quam in se ipsis, esse demonstrat S. Aug. lib. 4. de Gen. ad litter. c. 23. ubi cognitionem rerum in Verbo comparat diei, & earum cognitionem in propria natura comparat nocti. In comparatione enim lucis illius, qua in Verbo Dei conspiciunt, omnia cognoscitur, qua creaturas quilibet in se ipsa novimus, non immerito nox dici potest. Et cap. 24. loquens de scientia Angelorum: In ipso (inquit) Verbo Dei prius novimus, in quo sunt omnium, etiam quae temporaliter facta sunt aeterna ratione, tanquam in eo, per quod facta sunt omnia: Et lib. 11. de Civ. Dei cap. 7. Cognitione

quis quippe (inquit) creatura in se ipsa decoloratur est, ut in a dicitur, quam cum in Dei Sapientia cognoscitur, velut in arte, qua facta est.

V. Prob. secundo, preveniendo responsum Valquez, & aliorum. Si in essentia sua cognita, ut in medio, Deus non cognosceret creaturas, hoc ideo esset, quia essentia Divina non referatur ad creaturas, nec cum eis connequitur; sed primum non requiritur, secundum vero esse falsum; ergo &c. Minor pro prima parte prob. Essentia Divina, esse non referatur ad creaturas, eas tamen continet ratione omnipotentiae; at data contentiva effectus in causa, scilicet etiam omni respectu causa ad effectum, datur quidquid requiritur, ut effectus in causa cognoscatur; ergo &c. Min. prob. Ut effectus cognoscatur in causa, sufficit, ut in ea representetur; sed data contentiva, & scilicet quocumque ordine ad effectum sufficienter representatur in causa; ergo &c. Min. prob. In Deo, ut est species, vel speculum, nullus datur respectus ad creaturas, & tamen in Deo, ut in specie, aut speculo etiam secundum Adversarij creaturae representantur; ergo a pari.

Secunda vero pars prob. Essentia Divina in esse intelligibili connequitur cum creaturis; ergo etiam in esse entis, seu causae. Antecedens admittit Adversarij, dum non negant, Divinam essentiam esse speciem creaturarum. Consequentia vero prob. Si enim Essentia Divina in esse representativum connequitur cum creaturis, quin ullum sequatur absurdum? Cur quae non poterit connequi cum ipsis in esse causativi earumdem?

Urgo hoc. Essentia Divina in ratione speciei, seu melius quo, vel connequitur cum creaturis, quarum est representativa, vel non. Si connequitur: cur non poterit cum illis connequi in ratione melius in quo, seu in ratione cogniti representativi illarum? Si non connequitur, & tamen est medium in quo illarum; ergo, etsi non connequitur, poterit esse medium in quo cognoscatur.

Secundo prob. eadem secunda pars. Si essentia Divina non connequitur cum creaturis; jam creaturae erunt objectum primum tam motivum, quam terminativum divini intellectus, sed hoc negat Adversarij; ergo &c. Maj. prob. Ex duobus objectis cognitis inconnexis, unum non potest movere, aut terminare ratione alterius, alias non essent inconnexa; ergo unum non potest esse primum, & formale, & aliud materiale, & secundarium, sed erunt disparata, & aequalia tam in movendo, quam in terminando.

S. II.

Solvuntur Objectiones.

VI. Obijciunt primo. Si ex cognitione Essentiae suae Deus in illa creaturas cognosceret, daretur necessaria connectio inter Divinam Essentiam, & creaturas; sed haec dari non potest; ergo &c. Maj. prob.; alioquin quodcumque objectum posset ex se alterius cognosci. Min. vero prob. primo. Magis necessarium non potest connequi cum minus necessario; sed divina essentia est magis necessaria, quam creaturae; ergo &c.

Secundo. Si divina essentia connequeretur cum creaturis, jam non posset subsistere divina essentia, si perirent creaturae possibiles: unde si omnes impossibilitaretur, immo una eadem, esset vilitima, & pnia formica, impossibilitaretur Deus; sed hoc videtur maximum absurdum; ergo &c. Min. probatur. Alias Deus dederet a creaturis, indigeret illis ad sum esse: id enim dependet ab aliquo, & indiget illo, sine quo non potest subsistere.

VII. Hoc argumentum tangit praecipuum contrariae sententiae fundamentum, cui respondendo conc. maj. nego min. Ad primam ejus probat. nego absolute maj. que infatur, tum in essentia, quae magis necessaria est, quam proprietates: tum in principio, quod magis necessarium est, quam conclusio; & tamen tam essentia cum sua proprietate connequitur, quam principium cum conclusione; alias non esset necessaria, & bona consequentia: Deus potest hominem facere; ergo homo potest fieri, sed est possibilis: clare apparet, divinam essentiam esse cum creaturis connexam.

VIII. Dices. Eito ens aliquomodo respectivum, dependens possit cum alio connequi, etsi magis necessarium sit, non tamen ens omnino absolutum, & independens: quia idem videtur esse connequi cum alio ac ad illud referri, & ab illo dependere; sed divina essentia est ens omnino absolutum, & independens; ergo &c.

IX. Resp. neg. maj. Magna enim est differentia inter connectionem, & ordinem, ac dependentiam. Ibi enim omnis ordo, & dependentia importet connectionem, non omnis tamen connectio importet ordinem, & dependentiam, saltem in utroque extremo. Sic essentia connequitur cum proprietatibus, signatum cum signo, scilicet cum sciente: & tamen nec essentia dicit ordinem ad suos proprietates, nec dependet ab illis, nec signatum ad signum, neque scilicet ad scientem referatur, aut dependentiam dicit, sed e contra. Similiter pater connequitur in quantum pater cum filio, & tamen pater non dependet a filio, neque filius, ut talis pater, quia relativa sunt simul natura. Connectio igitur ex propria ratione formalis formi dicit, quod si unum est, debeat esse & aliud, seu unum esse non posse sine alio: quod ex terminis, nec dependentiam dicit, neque respectum, saltem ex parte utriusque extremi sed necessarium coexistentiam.

X. Ad secundam prob. min. dist. maj. Impossibilitaretur Deus a priori, neg. maj. a posteriori, conc. maj. Ex quo error deduceret creaturae possibiles, seu aliqua earum impossibilibis

fieret, argueretur defectus Omnipotentiae, quia deficeret illi aliquid predicatum intrinsecum, & essentiale, nimirum virtus contentiva illius creaturae. Talis tamen defectus in Deo non oriretur a priori a creatura, quasi quod defectus creaturae esset causa defectus Dei, sed solum a posteriori, ac veluti ex signo quia si deficeret creatura a Possibilitate, signum esset, quod prius defecisset in Deo vis ad producendam illam: non enim licet, quod maneat in Deo vis producendi creaturam, & quod creatura non maneat possibilis, cum tota possibilitas creaturae radicetur in potentia, & virtute Dei potente illam producere.

Hinc sequitur, quidem creaturas dependere a potentia Dei, sed non Dei potentiam a creaturis. Pro quo advero, tripliciter posse unum connequi cum alio. Vel sicut prius cum posteriori, & hoc modo prius non dependet a posteriori, sed facit potius a se dependere posteriori, sicut Deus connequitur cum creaturis. Alio modo sicut posteriori cum priori, & hoc modo posteriori a priori dependet; & sic creatura connequitur cum Deo. Tertio modo connequitur simultanea, nimirum relativa, quae sunt simul natura, & neutrum eorum dicit dependentiam ab altero. Quocumque autem modo connequitur, si unum ex illis, necesse est, ut ex illis & alterum, quia mutua coexistentia est ratio formalis connexionis.

XI. Obijciunt secundo. Dato, quod divina essentia connequitur cum possibilibus: non tamen connequitur cum creaturis praesentibus praeteritis, & futuris; ergo saltem has Deus non cognoscet in essentia sua. Ant. prob. Ex quo creaturae praesentes &c. cadant a praesentia &c. non arguitur, neque a posteriori defectus, aut aliqua mutatio in Omnipotentia Dei; ergo &c. Consequentia probatur. In tantum enim Essentia Dei connequitur cum possibilibus, quia si creaturae possibiles caderent a possibilitate, mutaretur, vel destrueretur Omnipotentia; ergo ab opposito si Omnipotentia non destruitur, nec mutatur &c.

XII. Resp. dist. ant. Divina essentia quasi in actu primo sumpta non connequitur &c. conc. ant. sumpta in actu secundo, nego antec. Igitur essentia Divina, seu Omnipotentia potest considerari dupliciter. Primo velut in actu primo, quatenus antevenerit omne decretum liberum producendi, & conservandi creaturam in esse; & si hoc modo consideretur, connequitur quidem, & est medium cognoscendi creaturas ut possibilis, quas ut sic in sua virtute praesentines; non tamen connequitur cum existentibus, praeteritis, & futuris: quia pro illo priori nullum intelligitur decretum de existentia, praetitione, aut futuratione, & consequenter nec existentia, praetitione, aut futuratione illius rei. Secundo potest considerari, ut in actu secundo, & pro ut jam determinata per decretum sui Voluntatis ad producendas, vel conservandas creaturas post tali, & tanto tempore; & sic connequitur cum creaturis existentibus, praeteritis, & futuris: quia ex Omnipotentia sic determinata inferitur a priori existentia, praetitione, futuratione pro eo determinato tempore, quo eam decreverit. Ad prob. antec. concessio antec. nego conseq. Et disparitas est: quia, si creatura de possibili fieret impossibilis, deficeret in Deo virtus contentiva illius, quae cum Deo fit essentialis, si deficeret, Deus mutaretur, & deheret. Ex eo autem, quod creatura modo existens ab existentia cadat, & fiat praeterea, solum sequitur, quod Deo deficiat denominatio conservantis illam; ex destinatione autem talis denominationis, quae nullam intrinsecam perfectionem in Deo dicit, non sequitur Deum mutari, aut deherere, sed solum mutari, & deherere creaturam. Videatur superius dist. quae. 1. art. 2. s. 3. num. 14.

XIII. Tertio obijciunt. Deus est causa creaturarum ratione omnipotentiae, sed cognitio, qua Deus creaturas possibiles cognoscit, intelligitur praecedere omnipotentiam: prius enim concipitur in Deo intellectus, & consequenter cognitio, quam omnipotentia; ergo &c.

Rursus. Si per impossibile Deus non esset Omnipotens, adhuc creaturas possibiles cognosceret; ergo omnipotentia non est medium in quo Deus eas cognoscit.

XIV. Resp. dist. min. praecedere omnipotentiam proximam sumptam, concedo min. radicaliter sumptam, nego min. Eto enim omnipotentia proximam sumpta fit attributum intellectus, & cognitione posteriori: atamen omnipotentia radicaliter sumpta, nempe essentia Divina, quae est radix communis omnipotentiae, & aliorum attributorum antecedit cognitionem; & haec est medium in quo Deus creaturas cognoscit, ita, ut haec propositio sit revera a priori: Deus scit omnia, quia potest facere omnia.

Ad id, quod additur, consequenter ad mox dicta respondeo, quod si per impossibile Deo deficeret attributum omnipotentiae, quae est ipsi ratio proxima producendi creaturas, adhuc illas cognosceret in omnipotentia radicali, nimirum in essentia sua, in qua radicatur omnipotentia, & est prima ratio producendi creaturas.

DUBIUM IV.

An Deus possit cognoscere creaturas immediate in se ipsis, ut in medio.

S. I.

Resolutio Dubii.

NON parvi momenti est haec quaestio: quae esto procedat modo de solis creaturis possibilibus: ex dicendis tamen circa istas facile depromi poterit, quid dicendum sit de futuris, & propterea ex decisione hujus difficultatis tanquam ex pra-

ex præcipuo fundamento, apparebit, an admittendi sit, an reprobanda scientia media.

I. Dico igitur, Deus nec cognoscit, nec cognoscere potest creaturas immediate in se ipsis, seu in se ipsis, ut in medio. Prob. primo ex dictis. Tum quia, si Deus cognosceret creaturas immediate in se ipsis, posset in creaturis, vel ex creaturis cognitis in se ipsis se ipsum cognoscere, cum per illas Deus sufficienter manifestetur, & consequenter habere scientiam a posteriori sui ipsius, quod superius reproboavimus.

Tum quia, etiam, ut supra vidimus, respectu Dei idem est obiectum motuum ac terminativum; sed creature, ut diximus, non possunt esse obiectum motuum divini intellectus, nec enim possunt esse obiectum motuum divini intellectus, ergo neque possunt esse obiectum immediate terminativum.

II. Probatur secundo. Creature, ut vidimus, non possunt esse obiectum terminativum primarium divine cognitionis, alioquin specificarent divinam cognitionem, quod propterea esset primario propter illas; sed si creature immediate in se ipsis terminarent divinam cognitionem, eam terminarent primario ergo &c. Mini. prob. Tum quia cognitio effectus in se ipso, & non in causa, non est cognitio effectus ratione cause, sed ratione sui, & ideo terminatur immediate, & per se primo ad effectum: sicut cognitio Imperatoris in se ipso, & non in sui imagine primo, & per se terminatur ad imperatorem.

Tum etiam, quia cognitio terminatur, non primario, & per se ad creaturas, sed ad Deum, est cognitio creaturarum, non in se ipsis, sed in Deo: cognitio per se primo terminatur ad causam, & non ad effectum est cognitio effectus, non in se, sed in causa, & cognitio per se primo terminatur ad rem, & non ad rem, quæ representatur in speculo, est cognitio rei, non in se ipsa, sed in speculo.

III. Dicunt primo, nullum esse absurdum, creaturas extrinsecæ, & argutive specificare cognitionem ad se terminantem, est divinam, quæ ex hoc solum arguitur, quod actus ad se primo terminatus sit specie diversus ab actu per se primo terminato ad aliud.

Sed contra primo. Nam esse obiectum specificat potentiam, vel actum solum extrinsecæ, est tamen causa formalis extrinsecæ, & a priori illius: quod est actum illum productum respectu dependentie ab illo tanquam a sua mensura, & norma objectiva, & actum esse propter illud, non autem illud nempe obiectum propter actum; unde docet Philosophi, actum dicere respectum transcendentem ad obiectum sui specificativum, obiectum autem nullum dicere respectum ad actum, vel potentiam. Hæc autem quis non videt divine cognitioni proferre repugnare? Secundo. D. Thomas 1. contra Gentes c. 48. docet oppositum hoc discursu: Operatio intellectualis speciem, & nobilitatem habet secundum id, quod est per se, & primo intellectum, cum hoc sit ejus obiectum. Si igitur Deus aliud se intelligeret, quam per se & primo intellectum, ejus operatio intellectualis speciem, & nobilitatem haberet secundum id, quod est aliud ab ipso. Hoc autem est impossibile: cum sua operatio sit ejus essentia (ut ostensum est) sit igitur impossibile, quod intellectum a Deo primo, & per se, sit aliud ab ipso.

IV. Dicunt propterea secundo, creaturas non fore obiectum primarium, nec specificativum, etiam immediate terminantes divinam cognitionem: non enim omne, quod immediate attingitur, specificat, sed solum illud, quod attingitur immediate primario. Addunt, hoc solum esse, quod ratione sui, nudum terminat, sed etiam movet. Creature autem, etiam immediate terminant divinam cognitionem, non sunt tamen motiva, neque ad eam per se movent.

V. Sed contra primo. Creature dum terminant divinam cognitionem, vel eam terminant, ut equæ per se ipsas in se, vel ratione divine essentie per se, & primo terminant. Si hoc secundum, ergo non terminant immediate in se ipsis idem enim est terminare ratione alterius ac non terminare ratione sui, & immediate in se ipso. Si dicatur primum, ergo ratio formalis, qua creature terminant divinam cognitionem, erit sua intrinsecæ intelligibilitas, & ratione hujus terminabunt, & dabunt speciem divine cognitioni.

VI. Contra secundo. Si creature immediate in se ipsis divinam cognitionem terminarent, ad eam etiam immediate moverent, & consequenter essent obiectum, nudum terminativum, sed & motivum; ergo essent obiectum primarium, & specificativum, quia, ut vidimus ex D. Thom. hac g. 14. art. 5. ad 3. quod ratione sui movet, & est principium cognitionis, illam specificat. Antec. prob. Deus vel movetur a creaturis ad cognoscendas illas in se ipsis, vel solum movetur a sua essentia. Si a creaturis; ergo hæc sunt obiectum motuum; ac proinde specificativum. Si ratione movetur ab essentia sua; ergo non cognoscit creaturas immediate ratione sui, & in se ipsis, sed ratione essentie, & in essentia. Conseq. prob. Nam obiectum non cognoscitur, nisi ut representatur per speciem; sed nec essentiam divinam non representatur immediate, & per se primo, sed mediate solum, & pro ut in ea continentur, ergo &c.

VII. Confirmo hoc. Deus non cognoscit creaturas immediate in se ipsis, nec ea cognitione, qua cognoscit illas in se ipso, nec alia virtualiter distincta. Non primum, quia cognoscere creaturas in se ipso, & in se ipsis, sunt diversi modi; qui eadem cognitioni convenire non possunt, immo oppositi: est enim cognoscere in se ipsis, & ratione sui, & cognoscere non in se ipsis, sed in alio, & ratione alterius. Non secundum, quia si cognitio attingens creaturas in se ipsis virtualiter distingueretur a cognitione attingente illas in Deo, jam talis cognitio unice, & adæquate terminaretur ad creaturas, & nullo modo ad Deum: cumque non esset aliud ob-

jectum talem cognitionem specificans, non posset specificari nisi a creaturis.

S. II.

Sciuntur obiectivæ.

VIII. Primo obicitur. Vis cognoscitiva Dei, utpote infinita, debet cognoscere creaturas omni modo, quo cognoscibiles sunt; sed sunt cognoscibiles, nedum in Deo, sed & in se ipsis ergo &c.

Confirmatur. Intellectus summe cognoscitivus, & ex se determinatus ad cognoscendum omne verum, potest moveri objective ab objecto, quod respicit, & intrinsecè est verum; sed intellectus divinus est determinatus ad omne verum, & creature sunt intrinsecè verum; ergo &c.

IX. Resp. diff. maj. omni modo se tenente ex parte rei cognitæ conc. maj. modo se tenente ex parte medi in quo, seu ex parte cognoscentis, subdit. si nullam dicat imperfectionem, conc. maj. si aliquam dicat imperfectionem, nego maj. Deus ergo, ex quo virtus infinita sit in cognoscendo, debet cognoscere creaturas omni modo, quo cognoscibiles sunt ex parte rei cognitæ, id est creaturas omni modo, quo sunt, ita, ut nil cognoscibile sit in eis, quod Deus non penetrat. Non tamen debet eas cognoscere omni modo &c. ex parte cognoscentis, seu in omni modo, in quo cognoscibiles sunt, & ex vi illius attingere: alias eas deberet attingere, & discursive, & in medio opinativo, cum etiam sic cognoscibiles sint. Debet ergo eas attingere ex parte cognoscentis in, & vi illius medi sumam dicens perfectionem in modo cognoscendi. Sic igitur dicendum est, quod Deus non solum cognoscit res esse in se ipso, sed per id, quod in se ipso continet res, cognoscit eas in propria natura, & ita perfectius, quanto perfectius est unumquodque in ipso. Ita D. Thom. hac g. 14. art. 6. ad 1.

X. Ad confirm. respondendo, probare creaturas esse posse, non obiectum terminativum, sed etiam motivum: quod tamen plerique adversariorum negant. Dico ergo, & summe cognoscitivus, debet moveri objective immediate a se, non vero ab alio extra se: unde moveri debet a sua essentia, quæ est representativa omnis veri, sicut ipse est determinatus ad cognoscendum omne verum.

XI. Secundo obicitur. Ex eo, quod Deus cognoscit creaturas immediate in se ipsis, non sequitur, quod ejus cognitio specificatur, & dependat ab illis; ergo &c. Antec. prob. primo. Si Deus cognosceret creaturas in se ipsis, tamen ad eas cognoscendas non moveretur a creaturis; sed a sua essentia, & solum terminaretur ad illas; sed cognitio specificatur, non ab objecto pure terminativo, sed ab objecto motivo, ut docet S. Thom. hac g. 14. art. 4. ad 3. ergo &c. Secundo. In Deo dantur plures formalitates immediate terminatæ ad creaturas, immo, & primario, quæ ab illis specificantur: omnipotentia enim, utpote productiva, immediate, & primario respicit producibile extra Deum, & consequenter creatum; quia nihil divinum est producibile. Idem dicitur de Providentia, Justitia, Misericordia &c.

XII. Respondetur negando antec. ad primam probat. nego maj. Supra enim ostendimus, quod creature, si immediate terminarent in se ipsis divinam cognitionem, ad eam etiam moverent. Obiectum enim, quod ratione sui non movet divinam intellectum, nec ratione sui cognoscitur, sed in alio, in quo representatur.

Ad secundam nego antec. Sicut enim nulla divina formalitas potest specificari ab alioquo creato, ita nec potest obiectum evincere exempla adducta. Omnipotentia enim non distinguitur adhuc virtualiter a divino intellectu: quare, sicut divinus intellectus primario respicit solum ens divinum, ut per se primo cognitur, & ens creatum solum secundario ita omnipotentia illud respicit, ut rationem se communicandi ad extra. Licet autem formalitas omnipotentia reduplicative sumpta solum respiciat creaturas: hæc tamen formalitas solum nominat, ac explicat terminationem secundariam divini intellectus. Idem dico de Providentia, de Justitia, & Misericordia: Justitia enim, & misericordia solum explicant terminationem secundariam divine voluntatis.

XIII. Sed infans. Omnipotentia, Justitia &c. immediate terminantur ad creaturas, & tamen illas solum secundario respiciunt; ergo poterit divina cognitio immediate terminari ad creaturas, & illas solum secundario respicere.

Resp. neg. conseq. Et disparitas est: quia cognoscere aliquid solum secundario, est cognoscere illud ratione alterius; prius cogniti, cognoscere autem unum ratione alterius, non est cognoscere illud immediate in se, sed in alio, vel ut causa, vel ut speculo: unde Deum cognoscere creaturas secundario, & illas cognoscere immediate in se, sibi contradicit. Ad producere aliquid secundario non est producere illud in alio, vel ratione alterius, prius producti, sed illud producere in se, sicut in se existit: & ideo producere unum secundario, & ratione alterius, non est producere unum in alio, sed immediate in se ipso.

Adi potest alia disparitas: quia scientia comparatur ad suum terminum, ut ad sui obiectum; omnipotentia autem comparatur ad suum terminum, ut causa ad effectum; diverso autem modo respicit cognitio obiectum, & causa effectum: nam causa respicit effectum, ut dans, & communicans illi perfectionem, qua ratione substantiæ divina potest immediate communicari humanitati; ad cognitio respicit obiectum, quod eam terminat immediate, & ratione sui, tanquam mensuram, &

ut ac-

ut accipiatur ab illo speciem, & esse in genere cause formalis extrinsecæ. Et inde est, quod divina cognitio nequit ad aliquid creatum immediate, & ratione sui terminari.

QUESTIO IV.

De divisione, & causalitate Scientiæ Divinæ.

Examinata existentia, essentia, & medio divine cognitionis, sive scientiæ, recto ordine transivimus ad ejus divisionem, & efficaciam in causando.

DIVISUM I.

De divisione Scientiæ Divinæ in Scientiam Visionis, & simplicis intelligentiæ.

S. I.

Quædam prænotantur.

I. Celebris est apud Theologos scientiæ divine partitio in Scientiam visionis, & scientiam simplicis intelligentiæ. Scientia visionis est, qua Deus cognoscit res existentes. Quia vero, ut statim dicemus, non solum res apud nos existentes, sed & res future, & præteritæ, coram Deo existunt, & sunt præsentis, ideo hæc scientia visionis cognoscit Deus se ipsum, & creaturas præsentis, præteritæ, & futuras: & hæc scientia visionis continet, cum notitia intuitiva in nobis, Scientia vero simplicis intelligentiæ est, qua Deus cognoscit res mere possibles, seu quidditates rerum, quæ abstractæ ab omni existentia, sive præsentis, sive jam habitæ, sive habenda: & hæc coincidit cum nostra notitia abstractiva.

II. Scientia visionis, ut terminatur ad Deum, & ad ea, quæ in Deo necessario existunt, est simpliciter necessaria, quia nostro modo concipiendi anteverit omne exercitium divine libertatis. Et eadem ratione scientia simplicis intelligentiæ, quatenus respicit pure possibili, & rerum quidditates, necessaria est. Scientia autem visionis, ut terminatur ad creaturas, est libera absolute, quia intelligimus, eam sublevari exercitium divine libertatis: causa enim, quare creature sint præsentis, præteritæ, vel future, est divina voluntas. Dici tamen potest necessaria ex suppositione, quia, cum Deus sit immutabilis, id, quod Deus semel libere servit, non potest non scire. Hæc sufficiat extremis labilis delibata, præsertim quoad rationem liberi, & necessariæ in scientia Dei; inferius enim pro merito tractabuntur: nunc de hac divisione in scientiam visionis, & simplicis intelligentiæ querimus; an servet condiciones bonæ divisionis.

S. II.

Resolvitur quæstio.

III. Dico. Scientia Dei bene, & adæquate dividitur in scientiam visionis, & scientiam simplicis intelligentiæ. Non certum hic contra Jesuitas, qui ponunt scientiam mediam. Hanc enim plerique eorum mediate dicunt potius inter liberam, & necessariam, quam inter scientiam visionis, & simplicis intelligentiæ. Sed militamus contra quosdam, qui inter scientiam visionis, & simplicis intelligentiæ tertiam ponunt, quam vocant scientiam approbationis.

Nostrum assertum docet Divus Thomas hac quæst. 14. art. 9. dicens: Quædam licet non sint nunc in actu: tamen, vel fuerunt, vel erunt: & omnia ista dicitur Deus scire scientia visionis. Quia cum intelligere Dei, quod est ejus esse, æternitate mensuratur, quæ sine successione existens totum tempus comprehendit, præteritæ insitit: Dei scire in totum tempus, & in omnia, quæ sunt in quocumque tempore, sunt in subjecta sibi præsentialiter. Quædam vero sunt, quæ sunt in potentia Dei, vel creature, quæ tamen nec sunt, nec erunt, nec fuerunt, & respectu horum non dicitur habere scientiam visionis, sed simpliciter intelligentiæ.

Ex his formatur ratio. Omnia, quæ a Deo sciuntur, vel sunt Deo præsentia, vel non: non enim datur medium. Si sunt Deo præsentia: sciuntur scientia visionis. Si non: sciuntur scientia simplicis intelligentiæ; ergo &c. Sicut ergo in nobis diviso notitia in intuitivam, & abstractivam est adæquate: ita in Deo diviso scientia visionis, & simplicis intelligentiæ, quæ huic correspondat, erit adæquate.

IV. Prob. ulterius contra Adversarios. In bona divisione nequit unum membrum ab alio dividens sub alio contineri; sed scientia approbationis continetur sub scientia visionis; ergo non constituit membrum distinctum. Mini. prob. Obiectum scientiæ approbationis, nempe quicquid Deus decrevit positive scire, continetur sub scientia visionis, cum sit vel præsens, vel præteritum, vel futurum; ergo similiter scientia approbationis continetur sub scientia visionis.

Confirm. Si scientia approbationis constitueret tertium membrum distinctum a scientia visionis, deberet ad quartum nimirum scientiam improbationis: sicut enim scientia improbationis est, quæ supponit decretum positivum, ita scientia improbationis est, quæ decretum permissivum supponit, & ideo hæc scientia Deus solum cognoscit mala culpa, quæ improbat: sed hoc nemo dixit ergo &c.

V. Melius ergo discursimus nos, qui postquam divisimus

scientiam divinam in scientiam visionis, & simplicis intelligentiæ, subdividimus scientiam visionis, seu, ut alii volunt, scientiam visionis liberam in scientiam approbationis, quæ Deus cognoscit ea, quæ decrevit scire, juxta illud Gen. 1. v. 31. Viditque Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona: & in scientiam improbationis, quæ videt ea, quæ tantum permittit fieri, ut sunt mala culpa, juxta illud Genes. 8. v. 5. Videns autem Deus, quod, multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intentu esset ad malum amplecti, puniit eum &c.

S. VI.

Satisfit objectionibus.

VI. Primo obicitur. Omnis scientia Dei est intuitiva; ergo omnis scientia Dei est visionis. Ant. prob. Omnis scientia Dei est clara, & evidens sui ipsius in se; ergo omnis &c. Resp. negando antec. ad prob. dist. antec. clara rei vel existentis, vel non existentis, conc. antec. rei præcise existentis, nego antec. & consequentiam. Quia cognitio intuitiva est cognitio clara quidem, sed rei existentis. Cum autem quædam a Deo cognoscantur, quæ nullo modo existunt, neque in se, neque in Deo, non omnis scientia Dei, est clara, est scientia intuitiva, seu visionis.

VII. Replicabis. Si aliqua scientia Dei non esset intuitiva, & circa existentia, maxime scientia, quam habet de possibili; sed hæc quoque est intuitiva; ergo &c. Mini. prob. Scientia dicitur intuitiva, quoties ratio formalis, seu medium cognoscendi est existens; sed ratio, & medium cognoscendi creaturas possibles est sua essentia, ut vidimus, quæ est existens; ergo &c.

Resp. neg. min. ad prob. neg. maj. Ratio enim intuitivi, vel abstractivi non pensatur ex ratione, vel medio cognoscendi, sed ex præsentia, vel absentia objecti, cognitæ exercitia. Quo fit, ut eadem cognitio attingens diversa objecta coordinata, respectu unius dicatur intuitiva, si est existens, respectu alterius abstractiva, si existens non sit. Sic cognitio Angeli, quæ contempletur in Sole eclipsam futuram Solis, respectu Solis est intuitiva, respectu vero eclipsis future est abstractiva.

VIII. Secundo obicitur. Scientia approbationis, & scientia visionis exprimentur diversos respectus. Scientia enim approbationis exprimit respectum ad voluntatem approbantem, scientia autem visionis ad existentiam objecti; ergo &c.

Resp. diff. ant. diversos respectus, coordinatos tamen conc. antec. disparatos, nego antec. Respectus ergo ad voluntatem divinam non est disparatus respectu scientiæ visionis circa creaturas, sed in illa includitur necessario. Quod decretum, si sit positivum, erit scientiæ visionis approbationis; si vero sit tantum permissivum, erit scientiæ visionis improbationis.

S. III.

An Scientia Visionis, & Simplicis intelligentiæ sint duo æverbia virtualiter distincta?

IX. Dico. Scientia Dei non dividitur in Scientiam Visionis, & Simplicis intelligentiæ, tanquam in duo attributa virtualiter distincta. Est communis præcipue apud Thomistas. Traditur enim a D. Th. quæ 2. de Verit. art. 9. ad 2. ubi hæc habet: Scientia simplicis intelligentiæ, & visionis nullam differentiam important ex parte scientiæ, sed solum ex parte relictæ. Dicitur enim scientia visionis in Deo ad similitudinem visionis corporalis, qui rei extra se præsentia insuetur. Unde per scientiam visionis Deus scire non dicitur, nisi quæ sunt extra ipsum, quæ sunt vel præsentia, vel præterita, vel futura. Sed scientia simplicis intelligentiæ, ut supra probatum est, est etiam eorum, quæ nec sunt, nec erunt, nec fuerunt, nec alio modo scire Deum ista, & illa. Unde non est ex parte scientiæ, sed Deo insuetur non vident, sed ex parte istorum visibilibus, quæ non sunt.

Ex his probatur assertum. Quæ distinguuntur solum ex parte scitorum, & non ex parte scientiæ, non sunt duo attributa Dei virtualiter distincta: sed scientia visionis, & simplicis intelligentiæ differunt tantum ex parte scitorum, & non ex parte scientiæ; ergo &c. Mini. prob. quod enim Deus scientia visionis non videat infinita, vel alium mundum possibilem, ex eo præcise nascitur, quia non sunt: si enim esset statim a Deo eadem cognitione viderentur.

X. Rursus, Scientia visionis creaturarum, & simplicis notitiæ exprimentur solum duas terminationes divine scientiæ ad obiectum secundarium; sed diversitas, quæ sumitur ex objecto secundario, non valet in Deo attributa multiplicare: sicut neque in creatis multiplicat realiter habitus; ergo &c.

XI. Dico. Divina Essentia, ut connotat diversitas creaturarum, est sufficiens ad distinguendas attributaliter artes, & prudentiam; ergo divina scientia ut connotat res præsentis, distinguitur attributaliter a se ipsa, ut connotat res pure possibles.

XII. Sed contra. Ideo Ars, & prudentia consentiunt duo attributa, quia sub diversa ratione obiectiva essentiam divinum respiciunt. Ars nimirum ut rationem obiectivam prudentia ut rectam rationem agibilem. Atqui cognitio existentis, & possibilis nullam in ratione obiectiva variationem inducunt, sed solum in esse physico, obiecti scilicet existentis, vel non existentis: Quare neque in creatis realiter, ut formaliter distinguuntur: Christus enim eadem visione beata comprehensivè cognoscit naturam existentem, & sub ratione quidditatis præcipientis ab existentia, quod præcise habet rationem simplicis notitiæ, & sub ratione existentis, quod modo habet rationem scientiæ visionis. Cur ergo Deus eadem simpliciter

mi 60